

5.
2. F. F., 2. 3.
RESOLUTIONIS PROBLEMATUM
LOGICORUM,

DE
FORMANDIS NOTI-
ONIBUS ET JUDICI-
IS PER EXPERIENTIAM,

PARS POSTERIOR,

Quam

Cum consensu Ampliss. Facult. Phil. in Reg. Acad.

Abœnsis,

Sub PRÆSIDIO

MAG. JOHANNIS
WALLENII

Desig. Theol. Professe-

Publice examinandam sistit

Pro obtinendis in philosophia honoribus,

HENRICUS ZIMMERMAN

OSTROBOTMIENSIS.

Die III. Maji An. MDCCXXXVIII.

Loco horisque consuetis.

ABOÆ, Excud. Joh. Kizempe, Reg. Acad. Typ.

VIRO Nobilissimo & Consultissimo,

D^N. ERICO PETRÆO,

Summi Dicasterii Regii, quod Holmiæ floret, Ad-
fessori Gravissimo,

MÆCENATI MAGNO.

Du anceps cogitatio versabat animum, utrum exercitio
bona intentione commendabili, fulgida Vestra Nomi-
nec plane ignotum mihi est, in quantas res, patrie publi-
conferatis, que non permittere videntur, ut ad nostros de-
tum literarum studia, sed & sinceros eorundem cultores am-
to omni metu, hunc ingenii tenuissimi fœrum venerabundus
non tantum benigne excipere, sed & genitorem eius solita
Gothici & Literati, Numen benignissimum in longam anno-
sincero animi

NOBILISSIMORUM NO-

Cluus hu-

HENRICUS

Nobilissimo & Amplissimo Domino;

DN. OLAV. COLLING,

Regii Collegii Metallici in patria Adessori dignissimo, solertissimo,

PATRONO INCOMPARABILI.

*huic Academico, non tam materia dignitate quam auctoris
na praefigere auderem. Novi enim magnos magna decere:
caequae salutis profuturas, omnes Curas cogitationesque vestras
scendatis ludos. Verum enimvero, favor ille, quo non tan-
plecti soletis, animum mihi adeo addidit, ut nunc, deposti-
vobis offerre sustineam, humillime rogans, dignemini illum
vestra benevolentia amplecti. Servet Vos, Lumina orbis Svis-
rum seriem salvos & omni felicitatis genere florentes! quod
adfectu rovet*

MINUM VESTRORUM

millimus

SSMMEEMM

Admodum Reverendo atque Praclarissimo Domino,
Mag. NICOLAO MATHESIO,
Pastori ecclesiarum, quæ Deo in Pyhäjoki colliguntur, longe dignissimo, vicini districtus Præposito accuratissimo, Patrono Certissimo & sincero animi, adfectu semper colendo.

Viro plurimum Reverendo nec non Praclarissimo,
Dn. Mag. CAROLO GUST. WERANDRO,
Palæo Carliensium Pastori longe meritissimo, Favori, quæ par est, observantia jugiter colendo,

Perquam Reverendo
Dn. Mag. ABRAHA-
Compastori Legionis Pedestris & Comministro Tem-
Amico æ-

Vobis, Patroni Optimi, pertenuis hæc sagellas, ornamento ob eximium Vestrum favorem, quo me amplecti haud calidissimo pro perenni atque perpetua Vestra Vestrorumque

ADMOD & PLUR. REVER.

MURORTZEV MUMIM

Cultor hu-
HENR.

Viro Admodum Reverendo atque Praclarissimo,
Mag. ERICO FALANDRO,
Pastori in Calajoki longe meritissimo, adjacentis di-
strictus Præposito dignissimo, Patrono omni Pietate
ætatem suspiciendo.

Plurimum Reverendo & Praclarissimo Domino,
Dn. Mag. JACOBO GAVELIN,
Templi Cathedralis Aboënsis OEconomus meritissi-
mo, Fautori multis mihi nominibus suspiciendo.

atque Praclarissimo Domino,
MO ROERING,
pli Cathedralis Aboënsis vigilantissimo, Fautori &
stumatissimo.

*tu quidem omni destitutus, pietate tamen dantis estimandas,
gravati estis, & in spem ulterioris benevolentia cum voto
felicitate, atque salute, consecratis, & oblatas esse volum.*

NOMINUM VESTRORUM

millimus
JMMERMAN.

Viro Reuerendo ac sapientissimo
Mag. ERICO FALANDRO
Pastori in Celsiſſimi longae meritiſſimo, adjacentis di-
ſtrictus Praeposito digniſſimo, Patrone omni Pietate
etiam laudando.


Illuſtrissimo Reuerendo & Praclarissimo Domino,
ORDENI DR. MAG. JACOBO GAVELIN,
Temporali Cathedralis Aboensis Oeconomus meritiſſi-
mus, Factori malis mihi nominibus laudando.

atque Praclarissimo Domino,
MO. ROERING,
ſibi Cathedralis Aboensis vigilantissimo, Factori &
honestissimo.

In quibus omni solentur, pietate tamen haec affluantibus,
gratiſſime & in ſua utilitate benevolentis cura vobis
ſollicitate, atque ſalute, conſervata, & obtinere eſſe voluit.

NOMINUM VESTRORUM

1672
1673



PROOEMIUM.

Quæ nunc in conspectum Tuum B. L. prodeunt pagellæ, sistunt Tibi continuationem ante a nobis inchoatæ resolutionis problematum Logicorum *de formandis notionibus & Judiciis per experientiam*. Constitutum quidem nobis erat, singula ad resolutionem horum problematum spectantia simul atque semel Tecum communicare; verum temporis brevitatis, quæ circumscripti fuimus, sententiam mutare & opusculum nostrum in duas dispescere partes, nos coegit. Quæ in parte hac posteriori pertractata deprehendis, eorundem brevem recensionem habes in § ultima partis anterioris. Quæ igitur ibidem legi possunt, ea heic repetere & ex charta in chartam transcribere supervacaneum est. Interim eandem ve-

A

niam

niam, quam benigne curis nostris prioribus, Candide Lector, dedisti, hisce quoque posterioribus Te haud denegaturum merito confidimus.

§. 1.

Viam monstraturi illis calcandam, quibus notiones distinctæ curæ cordique sunt, in antecessum explicabimus modum formandi iudicia a posteriori, cum horum in comparandis notionibus distinctis insignis sit usus, ut ex sequentibus constabit.

§. 2.

Quando ideam unam in altera vel contineri vel non contineri, ad eam referri vel non referri cogitamus, *judicare* dicimur. Et quidē *judicium* prodit *affirmativum*, si eandem tanquam in altera ista contentam vel ad illam relatam spectemus; in casu vero opposito, *negativum*.

Exemplis definitiones presentes, cum minus sint usitate, illustrare placet. Si iudico Deum esse omnipotentem, notionem omnipotentiae in notione Dei contineri cogito; adeoque iudicium est affirmativum. Quod si vero iudico animam non esse mortalem, notionem mortalitatis in notione animae haud contineri cogito, adeoque iudicium est negativum. Formata

3.
mata iudicii definitio minime abludit, si sensum spectes non
verba, ab illa communi fere calculo adoptata, qua defini-
tur per duarum notionum coniunctionem vel separationem.
Nostra tamen nostro qualicumque iudicio & clarior & scopo
nostro accommodatior est, ut mox patebit ex demonstratione
problematis (§. 5.).

§. 3.

Illa notio, in qua alteram vel contineri vel
non contineri cogitamus, vocatur *subjectum*;
hæc vero altera *predicatum*. Subinde quoque
vocibus istis denotantur ipsæ res, quæ hisce
notionibus iudicantis respondent. Immo quan-
do nobis cum *propositione*, hoc est, iudicio
terminis expresso, res est, iisdem nominibus
veniunt termini, quibus notiones in iudicio
iisdem respondentes indicantur.

§. 4.

Iudicia quæ sensuum ope, aut si mavis im-
mediate ab ipsa experientia formantur, *in-*
tuitiva audiunt; quibus opponuntur *discur-*
siva, quæ ex aliis iudiciis cognitis ratiocinando demum
eruntur.

affirmativa §. 5.

Iudicia *intuitiva* formantur Ito attende ad
rem

rem sensibus obviam. 2^o illud, quod rei perceptæ inesse, ab eadem tamen diversum esse observas, separatim considera. 3^o notionem ipsius rei, quæ sensui obversatur, sume loco subiecti; notionem vero illius, quod eidem inesse, ab ipsa tamen diversum agnoscis, pro prædicato. His observatis, habes iudicium quæsitum, quod haud difficulter ostendi potest.

Dum enim rem sensibus obviam & illud, quod eidem inexistere deprehendis, sigillatim tibi representas, utriusque notionem te habere evidens est (§. 10. part. prior.) Enimvero quando notionem ipsius rei sumis pro subiecto, notionem vero illius, quod in re distinguis, pro prædicato; posteriorem notionem tanquam in priori contentam consideras (§. 3.), consequenter iudicas & quidem affirmative (§. 2) Quoniam vero hoc iudicium attentione ad ea que sensu percipis, fuit formatum, ut per resolutionem patet, idem quoque intuitivum est (§. 4.) Quod erat demonstrandum

§. 6.

Iudicia intuitiva negativa formaturus 1^o eodem, ut antea, modo notionem rei perceptæ sumas loco subiecti. 2^o revoces tibi in memoriam aliquid, quod vel in aliis rebus percipisti, vel in obiecto præsentis olim observasti, in

in eodem lib. autem nunc non animadver-
ris, illudque sumas loco prædicati negativi. Sic
formatum iudicium erit & intuitivum & nega-
tivum (§. 4. & 2.), quod facile intelligis,
perpendendo ea, quæ ad demonstrandam reso-
lutionem problematis proxime præcedentis in-
medium adduximus.

§. 7.

Quoniam propositiones nihil aliud sunt, quam
iudicia verbis expressa (§. 3.), nos autem
indicavimus, quomodo ad iudicia intuitiva tum
affirmativa tum negativa pervenire liceat (§. 5.
& 6.); patet simul propositiones, quæ expe-
rientia nituntur, formari, observatis iis, quæ
in resolutionibus problematum antecedentium
(§. 5. cit.) præcipiuntur, modo iudicia no-
stra verbis decenter enunciare valeamus.

§. 8.

Quod si formatis de re percepta iudiciis in-
tuitivis occurrant prædicata, quæ in no-
tarum sunt numero, quibus res agnoscitur &
ab aliis distinguitur; & notas istas, tum a se in-
vicem, tum a re cui insunt, distinguere va-
leamus

lemus (§. 3.) notionem rei distinctam habemus (§. 12.) part. pr.) Patet itaque notionem rei perceptæ fieri distinctam, si iudicia intuitiva formamus, quorum prædicata sunt rei notæ.

9.

NOtionem ergo distinctam formaturus 1:º omnia, quæ in re sensui obvia discerni possunt, sigillatim considera, aut si mavis, tibi repræsenta. 2:º tot forma iudicia intuitiva, quot in re percepta distincta observas (§. 5.). 3:º prædicata iudiciorum inter se confer, hoc est, coniunctim contemplare, observaturus quamnam inter ea sint rei notæ. Quod si talia prædicata occurrant, habes notionem rei distinctam (§. 8.).

§. 10.

QUod si dicta lege notæ ad rem perceptam ab omnibus aliis semper & ubique discernendam sufficientes fuerint detectæ, notionem tenes completam (§. 12. part. pri.).

§. 11.

NOtionem distinctam atque completam stru-

cturæ

7
cturæ corporis organici formaturus, 1^o singulas partes, quæ in eodem discerni possunt, sollicitè a se invicem distinguat. 2^o ad singulas seorsim atque sigillatim attendat, attentionem suam successive promovendo ab una parte ad aliam. 3^o omnes denique partes simul contempletur, observaturus, quo ordine singulæ se excipiant & quæ sit earum connexio. Qui dicta methodo singulas partes corporis organici, earumque ordinem atque nexum detegit, is perfectas habet notas sufficientes, quibus structura eiusdem ab omni alia re dignoscitur, consequenter notionem structuræ corporis ipsius completam habet (§. 12. par. prio.).

Et quidem hic absque multo labore formantur conceptus distincti atque completi, re non admodum multas continente partes, nec nisi tales, quarum discrimen in sensum incurrit, si modo percipiens habitu polleat notiones distinctas de rebus obviis formandi.

§. 12.

Qui præscripta methodo (§. 9.), de notis conceptum distinctum ingredientibus, conceptus ultteriores distinctos format, notionem rei perceptæ consequitur adæquatam (§. 13. part. pr.).

§. 13.

§. 15.

Cum obiecta, quæ nimis procul ab organis sensoriis sunt remota, obscuriuscule nobis repræsentantur (§. 16. part. pr.), notiones distinctas & adæquatas formaturus operam dabit, ut iusta adsit distantia organorum sensoriorum ab obiectis.

§. 14.

Quoniam oculo armato patent, quæ ob parvitatem & nimiam a nobis distantiam vel plane non, vel non nisi confuse oculo nudo spectantur; *Microscopia* & *Teloscopia* in formandis conceptibus distinctis, completis atque adæquatis, insignem præstant usum.

Microscopia dicuntur instrumenta, quibus obiecta exigua, quæ visum alias effugunt, redduntur conspicua: Teloscopia vero, quæ remota tanquam propinqua nobis sistunt. Hisce instrumentis recentiori demum ævo inventis, in scientia rerum naturalium detecta sunt plurima, quæ ab antiquis ignorata fuerunt, quod istis subsidiis ad veritatem perveniendi caruerint.

§. 15.

Iudicia intuitiva ex sensibus rite formata sunt certa. Quoniam iudicia vera sunt, in quibus

bus prædicatum sive affirmativum sive negativum convenit subiecto (per defi. iud. ver.), iudicia intuitiva, vera esse nulli dubitamus, quatenus prædicatum subiecto convenire observamus (§ 14.). Enimvero cum aliquid simul verum & falsum esse nequeat, quod instar axiomatis pro concessio sumimus, eadem falsa esse haud posse novimus. Iudicia igitur intuitiva rite formata sunt nobis certa. *Certum* autem illud dicimus, quod ita verum esse novimus, ut oppositum illius, scilicet falsitatem, locum plane habere non posse perspiciamus.

Firmum adeo iudicia intuitiva præbent fundamentum, cui deinde discursiva legitima ratiociniorum serie superstrui possunt. Unde eadem inter palmaria demonstrandi principia referre solent philosophi. Patet simul inde cur experientia, cui iudicia ista innituntur, dudum pro matre philosophia a viris acutissimis sit habita.

§. 16.

Iudicia intuitiva veri nominis sunt certa (§. 15.), adeoque experientia cui eadem innituntur (§. 14.), est medium ad veritatem certam perveniendi tutissimum. Cum igitur experien-

rientia minime fallat & per consequens unius
 experientia alterius experientia contradicere ne-
 queat, cum contradictoria simul vera esse non
 possint (per princ. ontol.), hinc mirum videri
 posset, qui fiat, ut duo vel plures obser-
 vatores seu experimentatores ad experientiam
 unam eandemque in terminis contradicto-
 riis provocare queant. Verum enimvero hi i-
 pfi, quicumque demum illi sint, non experi-
 entiam experientia, sed propositiones ab expe-
 rientia illatas sibi mutuo opponunt, quae cum
 supponantur in praesenti casu contradictoriae, al-
 tera necessario erit falsa. Notandum enim e-
 os, qui iudicia praecipitate solent, experientiis
 saepe admiscere ea, quae vel ratiocinando ex
 iudiciis intuitivis demum deducunt, vel quod
 olim perceptum per legem immaginationis ipsis
 succurrit, adeoque *vitium*, quod dicitur, *sub-*
reptionis committere. Est hoc vitium, quo vi-
 demur nobis experiri, quod minime experimur.

§. 17.

*Si quis iudicia discursiva ex intuitivis deducta
 pro intuitivis venditat, is vitium committit*
sub-

subreptionis. Quomiam iudiciorum intuitivorum veritas per solam, aut si mavis immediatam, patet experientiam (§. 14), sequitur, quod is, qui iudicia discursiva pro intuitivis venditat, summat ea, quæ ratiocinando demum ab experientia deducit (§. cit.), per experientiam immediate constare. Videtur adeo sibi plura experiri quam revera observat, adeoque vitium subreptionis committit (§. 16.).

Haud infrequens est, ut ad observandum animum applicaturi opiniones præconceptas, seu quibus antea imbuti fuerant, ipsis intermiscant experientiis; deinde vero ex illis, mediantebus iudiciis intuitivis, confusa quadam illationis specie deducant discursiva, qua tamen per experientiam immediate formata esse sibi persuadent. Hi enim cum ratiocinia sua evolvere nesciant, non advertunt ratiocinia ista, quibus eadem, puta iudicia discursiva in mente fuere formata. Quod si vero contingat, ut vel præconcepta talis atque per præcipitantiæ formata opinio, qua alteram præmissam largitur in syllogismo, quo iudicium infertur discursivum, sit falsa, vel modus concludendi spurius, iudicium sic formatum falsum esse patet. Hinc igitur liquet, quam necesse sit, ut ab experientia probe secernantur illata inde propositiones, cum harum veritas examinari debeat iuxta leges syllogisticas, utrum nimirum præmissæ sint vera & forma legitima. Hoc autem fieri nequit, si eadem pro intuitivis habeantur.

Cum ex Opticis, immo obvia constet experientia, obiecta visibilia aliter sæpe apparere, quam revera sunt; vitium quoque subreptionis committit is, qui in eo casu, ubi obiecta alia apparent, alia sunt, secundum hanc apparentiam de iisdem iudicat (§. 16.). Hoc vero fieri solet, in eo in primis casu, ubi obiectum obscure perceptum idem apparet cum alio vel simul vel olim percepto, cum tamen ab eodem quam maxime differat. Quod si enim iudicium præcipitantes illud propter istam identitatem apparentem idem cum hoc iudicemus, vitium committimus subreptionis.

Ex gr. Figura solis apparet nobis eadem ac disci. Quod si igitur iudicemus figuram solis esse discem, illud, quod olim perceptum per imaginationem nobis succurrit, tribuimus soli, adeoque vitium subreptionis committimus (§. 16.) Neque tamen existimandum est, hoc vitium tantum committi in iudicando de corporum affectionibus, cum idem in diiudicanda actionum suarum inde homines frequenter, pro dolore committant. Exempla, quibus dicta confirmantur, sunt obvia. Notum est plerisque in plerisque suis actionibus esse empiricos, hoc est, eas tem moderari per olim facta in casu simili. Ubi enim prævia experientia didicere, in casu quodam

dam aliquid fieri posse vel debere, atque eodem recurrente iudicantur hunc priori similem esse; idem & hic fieri debere concludunt. Ut igitur agere possint, toti sunt in expectandis casibus similibus, in quibus imitantur seu denuo faciunt, quod antea vel ipsimet vel alii in tali casu fecerunt. Hoc autem ideo fieri nemo est qui non intelligat, quod eundem eventum in presenti casu sperent, quem in simili antea experti fuerint. Spem autem sepe fallit eventus, quod defectu attentionis atque acuminis, casus diversos pro iisdem habeant, adeoque vitii subreptionis reos se faciant. Cavendum igitur, ne quod in uno casu fieri posse experientia edocti novimus, idem etiam in alio casu fieri posse nobis persuadeamus; cum non succedat illatio, nisi certi simus, casum posteriorem non solum ex parte, sed in omnibus priori esse similem. Quoniam vero ista similitudo cognoscitur ex identitate circumstantiarum, per quas uterque casus determinatur, demonstrandum utique est, nullam in casu praeterito adfuisse circumstantiam, qua in presenti quoque locum non habeat. Positis enim iisdem circumstantiis, idem ponitur effectus. Vid. Ibbemigius in Institutionibus Psychologiae § 75. & 76.

§. 19.

SI quis illud, cuius nullam habet notionem, per experientiam cognovisse sibi videtur, is vitium subreptionis committit. Quoniam nihil experimur, nisi quod sensibus percipimus (§. 4. part. pr.), adeoque nobis repræsentamus (§. 1. part.

part. pr.) ; illius utique rei, quam experientia cognovisse nos asserimus, notionem habeamus necesse est (§. 10. part. pr.). Illud igitur, cuius nullam habemus notionem, per experientiam nobis constare dici nequit. Quod si tamen hoc non obstante nobis persuademus, idem nos experientia cognovisse, in vitium incidimus subreptionis (§. 16.).

Exemplo nobis sunt termini bene multi in Physicis a Scholasticorum, quibus respondentem notionem per experientiam haustas sibi habere videbantur. Enimvero, cum termini isti sint nudi sine mente soni, nullas nisi deceptrices iisdem coniungere licet et notionem. Vid. Wolfium in Log. Min. §. 179. & Log. maior. §. 136. §. 667.

§. 20.

Quoniam non repugnat, illud, quod experiri nobis videtur, adeoque certum esse sumimus, cum tamen idem minime experiamur, esse falsum; manifestum est, eum periculo errandi se exponere, qui vitium subreptionis committit (§. 16.). Error enim est assensus propositioni falsæ datus. Periculo igitur errandi se exponunt, quotquot vel iudicia discursiva cum intuitivis confundunt (§. 17.),
vel

vel res in omni casu tales assumunt, quales ipsis apparent (§. 18.), vel denique illud cuius nullam habent notionem, per experientiam sibi cognovisse videntur (§. 19.). Immo quod actu subinde errent, patet ex iis, quæ in notis ad loca proxime citata adduximus.

Vir nobilissimus & de scientiis præclare meritus Ehrenfridus Woltherus de Tschirnhausen in Medicina Mentis part. 2. Sect. 3. p. m. 16, omnem errorem inde oriri existimat, quod pro iisdem habeamus, quæ diversa sunt, propterea quod sensui atque imaginationi ea se offerunt ratione, ut nulla prorsus in re differre videantur. Licet vero hic errorum fons non sit unicus, ut indicare videtur nobilissimus Tschirnhausius, cum tamen non esse negligendum patet ex iis, quæ a nobis annotata fuere (§. 18.).

§. 21.

Cum vitium subreptionis periculo errandi nos exponat (§. 20.); idem solícite cavendum esse patet. Idem vero in omni casu non adeo facile evitare licet, nisi quis habuerit intellectum scientia solida probe excultum, ut in casu quolibet dato notiones veras a deceptricibus distingvere, ratiocinia sua distincte explicare, atque casus istos, in quibus res alio modo sensui sistuntur, ac sunt, dignoscere valeat (§.

18. 19. 20.). Ut igitur hoc vitium experientiae adeo inimicum evitemus, opticae atque Logicae veriori haud proletaria danda est opera. Illi quidem, ut sensuum fallacias caveamus; huic vero, tum ut notiones veras a chimericis internoscere discamus, tum ut ratiocinia nostra distincte evolvere queamus, confusionem iudiciorum discursivorum cum intuitivis hac ratione optime evitaturi.

§. 22.

Notiones quibus repræsentantur individua, aut si majoris, entia omnimode determinata, dicuntur *singulares*; Notiones vero *universales* vocantur, quibus repræsentantur species atque genera, hoc est, ea, quæ pluribus individuis sunt communia.

§. 23.

Omnes notiones solius experientiae ope formatae sunt *singulares*. Quoniam repugnat, ut existat, quod aliqua parte sit indeterminatum, ut patet tum per principia Ontologica, tum per obviam experientiam; evidens est, non nisi individua existere posse (§. 22). Enimvero
 quæ

quæcunque sensu percipimus sive externo sive interno, existunt (§. 3. part. pr.); consequenter non alia entia præter individua sensuum beneficio cognoscere licet. Cum autem nihil experiamur, nisi quod sensuum beneficio cognoscimus (§. 4. part. pr.), manifestum est, nos solius experientiae ope tantum individua nobis repræsentare. Repræsentatio individui notio audit singularis (§. 22 (, E. quascunque notiones solius experientiae ope formamus, sunt non nisi singulares.

§. 24.

Iudicium est *singulare*, in quo locum subiecti tenet notio singularis: *Indicium* vero est *universale*, in quo subiectum est notio universalis, speciei nempe vel generis, prædicatum vero competit singulis speciei vel generis individuis.

§. 25.

Iudicia *intuitiva sunt singularia*. Quum iudicia intuitiva sensuum ope formentur (§. 14.), in illis loco subiecti assumitur notio rei sensu perceptæ, & per consequens individui, ut patet

ex demonstratione propositionis antecedentis (§. 23.). Iudicia , in quibus locum subiecti occupat notio singularis , singularia dicuntur. (§. 24.). E. iudicia intuitiva non nisi sunt singularia.

§. 26.

Quoniam experientia iudiciis non nisi singularibus constat (§. 25.); ideo qui propositionem quandam universalem probaturus ad experientiam minus obviam atque alteri, cum quo ipsi res est, ignotam provocat, debet factum quoddam in individuo allegare, ut constare alteri possit, tum quasnam supponat perceptiones, tum quomodo ducibus rebus sensu perceptis iudicium suum universale intulerit.

§. 27.

Quamvis vero experientia sit cognitio rerum singularium, hoc est, notionibus atque iudiciis singularibus tota absolvatur (§. 23. 25.); quatenus tamen singularibus insunt universalium, cognitio universalium ab iis, quæ experimur, mediante abstractione, derivari potest.

Cum per notiones atque iudicia generalia cognitionis nostræ limites plurimum extendantur, permagni interest, ut notiones atque propositiones experientiæ debitæ, utpote singulares (23. 25.) in disciplinis ad universalitatem evehantur.

Nos igitur Colophonidis loco, strictim & per summâ tantum capita cundo modum indicabimus, quo tum notiones, tum iudicia singularia ad universalia revocari queant. Notiones singulares transformantur in universales, si determinationes in perceptione individui occurrentes, que variari possunt, ceteris manentibus salvis, omittas, easque tantum tibi representes, que pluribus individuis sunt communes (§. 23.). Iudicium vero intuitivum ad universale revocatur, si attendas, num predicatum, quod subiecto in eodem tribuimus, rei percepta constanter insit, nec ab ea, ipsa manente salva, auferri queat. Si hoc deprehendis, predicatum quoque de omnibus aliis individuis ad eandem speciem pertinentibus enunciari potest, consequenter iudicium habes universale (§. 25.). Quod si vero predicatum sit mutabile, adeoque salva re ab eadem auferri possit, attendas ad omnes circumstantias, quibus positâ ponitur predicatum, hoc est, ad conditionem, sub qua prædicatum competit subiecto. Quod si conditio ista occurrat, omnibus individuis ad eandem speciem pertinentibus adiecta eadem conditio
tri-

tribui potest predicatum, adeoque iudicium denuo est universale (§. cis.).

Qui plura de methodo convertendi notionis atque iudicia singularia in universalia scire capit, adiat Wolfium in Operibus ipsius Logicis atque Baumeisterum in Philosophia sua Rationali, quos duces in hisce nostris meditationibus imprimis secuti sumus. Plura adhuc dicenda superessent, sed temporis angustiis pressi, heic vela contrahere cogimur.

Deo Laus,

